

Bibliothèque numérique

medic@

**Lassone, Joseph-Marie-François de -
candidat / Boulland, Toussaint-Gilbert
- président. - An morbi chronici à vitio
digestionum.**

1741.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°65***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0065](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0065)



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS.
*manè discutienda in Scholis Medicorum die Veneris vigesima-nona
Decembris M. DCC. XLI.*

M. TUSSANO-GILBERTO BOULLAND,
Doctore Medico, Præside.

An morbi chronici à vitio digestionum.

I.



ORPUS humanum automatibus præstat, & innumeris inter se diversis constat organis, quæ adunata, eodem spectant, nec otiosa nunquam non moventur. Quemadmodum omnia sunt cava, omnia replentur fluidis, jactatur, percutitur, protruditurque fluidum. Quo fluat, unum eundem alveum, quâ teratur, subigatur, prematur, eandem vim ubique nanciscitur eundo. A carceribus, ad calcem constans est illa sors! Homo à pulsu vitam auspicatur, punctum saliens, cor scilicet, salit, ut mittat sanguinem in aortam, instituaturque circulatio; indefinenter adstringitur, propellit sanguinem, & ampliatur, reducem ex omni corpore, per omne corpus mox reversurum cruorem admittit. Sanguinis ille circuitus vitam statuit, sustentat, æquabilis moderatusque sanitatem efficit, inæqualis & perturbatus morbos creat; læduntur enim functiones; eo motu assiduo subsistit machina nostra, conservatur agilis; sed multiplici circuitu, continuato tritu, è suâ conditione destrueretur, succorum exhalantium dispendio brevi corrueret, nisi destructa reficerentur, consumpta resarcirentur; his damnis succurunt, optimè confecta digestaque

2
 alimenta crassa, cruda aliud exitium inferunt; hi hospites, quasi cives incautè admissi, nullo delectu, & acervatim congesti, ipsorum genio, potentiâ viribusque ignotis, in ventriculo nimio plus coacervati, à primo limine illius vim demunt, fibras percellunt, digestioni turbam inducunt; tandem quidquid valent, in nostram perniciem vertunt, ac æconomiam animalem perturbant.

I I.

VENTRICULUS in speciem utriculi à naturâ contextus, esculenta poculenta que ex ore accipit digerenda, coquenda, necnon in fistulam, seu tubum intestinale diffundenda; liquidus illorum cremor, vulgo chylus, dum intestinorum spiris detinentur, rursus elaboranda, à multiplicibus lactearum ramulis exsugitur, in sanguinem nutritivum mox convertendus; excrementa verò, feces in ampliora delabuntur intestina; at verò cibus amplexu suo coercendis, iisque suo ordine, loco disponendis inhabilis ventriculus, ac tandem vincendis impar, illorum copiâ, mole extenditur, comprimuntur vasa, pondere obruitur fibrarum tonus, hinc attritus, separatio, expulsio coctioque retardantur, debilitantur, vel prohibentur. Hæc ciborum exuperantia, quia supra vires ventriculi, neque integrè coqui, neque in purum sanguinem verti potest, cruditates accumulatur, quæ cum à debili, inferiore naturâ nequeant domari, omnis generis humores congerunt, vires premunt, jam onustum & turgidum corpus magis ac magis aggravant. Sic obstructions suâ multitudine accersunt, quibus vasorum elater opprimitur, & quasi strangulatur, varios sic generant morbos. (a) Unde Hippocrates inquit, *ubi cibus præter naturam copiosior injectus est, hic morbum facit.* Neque verò una cibi, potulve, etiam optimi quantitas, seu exuperantia naturæ gravis infensaque est, verum etiam prava illorum qualitas, viscositas scilicet, tenuitas, oleositas, acrimonia, ventriculum in quo hærent & detinentur, exercent, nec ventriculi robore domita, aut evicta illorum vitia, in omne corpus permanabunt pulmones, cor, cerebrum & universum corpus concutient; illorum igitur chylus, dum è ventriculo in sanguinem illabitur, suis pravis qualitatibus quidquid attigerit, imbuit, maximam sanè in gignendis morbis vim obtinet! Non minora affert mala tenuior parciorque victus, (b) assentiente Hippocrate, fibras ventriculi reperto attritu deterit, succos tenues exhaurit, halitu dissipat & consumit, crassos humores inspissat & putrefacit. Undè à longiori inædiâ crassiores, tenaciores partibus magis inhaerentes proritant humores, undè ingens & atrox morborum cohors.

(a) Advices 3.
 aph. 17. ad vasa.

(b) Aph. 4-5.

III.

QUÆ necessariò nobis ferenda sunt, & sine quibus vivere non licet, ut aer, cibus, potus, motus, quies, somnus, vigilia, quæ excernuntur, subsistunt & animi perturbationes suâ moderatione appetentiam & concoctionem juvant, fovent, perficiunt & sanitatem tuentur, suâ immoderatione ac inconstantia corpus jactant, concutunt, sanguinem & humores fædant, & corpus labefactant; sic suis procellis, turbulentis fluctibus, quæ nec prævideri, nec declinari possunt, etiam si moderatrix adsit temperantia, ventriculum convellunt, debilem ac coctioni imbellem efficiunt, sic concoctiones pervertunt. Chylus ex alimentis crudis, semitritis, malè coctis elicitus, sanguini adjungitur, immiscetur, coagmentatur subsidiarius & confunditur mox ipsi substituendus. At verò exardescit cor, acrius micat, ictus, vires intendunt arteriæ, motus & concussus densant, duplicant fibræ, eo quod chyli duri, crassi, spissi superficies ipsarum obtitui obstant. Obstantia pertrumpere chylum tardum & concretum contundere, densum discerpere, atque comminuerè omni ope atque opera nituntur. Invisus ille, solidorum vim & potentiam eludit. Hinc sanguis, qui nimmer moveatur, vitium capit, omni mutationi & corruptelæ proclivis, hac miscelâ cogitur, crassefcit, spissatur, arteriarum contractionibus obnititur, vasculorum fibras pondere, mole compellit, pertrumpit, ipsarum diametrum explicat, lentius fluit iners, partium nutritionem subripit, nec non secretiones fallit. His impeditis, vel imminutis supervacanei in sanguine exaggerantur succi, duabus agitur potentiis aggestus sanguis, à corde confestim promovetur, necnon vi arteriarum saliente quoquò versus urgetur, percutitur, stringitur, & repetitis, congeminationis ictibus junguntur, necluntur, agglutinantur partes ramosæ, fibrosæ, glutinosæ & tenaces, quibus scatet illud fluidum; tamen enixè adigatur, imperu truditur sanguis, haud multum procedit; vasorum pulsus & percussus suspenduntur, depravantur, vel prohibentur; hinc illorum pressio remittitur retineturque tritus, ingravescit, lentescit, torpescitque lymphæ; quia viscosa hæret, stagnat, nec non obstructions solutu perdifficiles invehit. Et illarum rudimenta crebro sensum fugiant, & qui his appetuntur, siemâ ac prosperâ uti valetudine putent, aliquantò post palam proferuntur morbi. Variis symptomatibus distinguuntur, pro diversis partibus affectis, his quædam mendosæ, ac vitiata chylolis adjunguntur signa, ut *cardialgia*, ingens & atrox appetitus, bilis cumulus, nausea,

3
vomitus, appetitus prostratio, pervigilium, tormina, *borborygmi*, ructuum explosio, anxietas, singultus, gravitas, tensio, tumor, dolor in regione *epigastricâ*, frigoris sensus, colicus dolor, æstus in præcordiis, horror, febris, & alia impediunt cœctionis signa.

IV.

IN communem omnium partium corporis humani utilitatem ventriculi functio; quo nutriantur, reparentur & sua obeant munera à sanguine hauriunt; mutuum enim est flo-machum inter & sanguinem commercium; sanguis quò tot, ac tantos sustineat sumptus, à ventriculo colligit; ventriculus omne subsidium, quò indiget ad suum opus, à sanguine depromit; hinc sua in omne corpus jura ventriculorum exercere, eorumque notitiam in contemplatione Medicâ, seu in (a) *theoretice* necessariam, sed longè majoris esse momenti in legitima praxi, antiqui & recentiores Medici profitentur omnes; morbos (b) *chronicos*, seu longos varietate, & effectu admodum dissimiles, (quibusdam exceptis, quos trahunt morbi acuti malè curati,) à læsâ ventriculi actione procedere Medicis præstantissimis visum est; haud fide, si quidem affecto ventriculo, læsâ concoctione, de suo statu decidit sanguis, & vitium contrahit; læsâ concoctio est morbus, qui licet nostros ac laborantium sensus sæpe fugiat, aliorum morborum sit opifex & illos fovet, & ab illis fovetur; herbis, plantisve vescitur omne animantium genus, plantas edit tellus, sulcit & sustinet, quæ salinis, sulphureis & metallicis particulis exuberant, inquit Hippocrates, & alimenta quibus alimur, iisdem principiis terrestribus non omnimò esse expedita ac vacua, eaque in chylum ac sanguinem non ita immutari, quin fiant morborum cause, suadet idem senex; concoctionem perturbari inde inferunt Medici non pauci; morbos diuturnos, pertinaces, vulgò *chronicos*, ex digestionum omnium labefactione oriri monet Sydenhamus, alter Hippocrates, ac rerum observantissimus; in hoc morbo inquit, de (c) *Podagrâ* loquitur, & in aliis morbis diutinis præsentissima sunt illa medicamenta, præter vinosa, quæ ad ventriculum refovendum, erigendum, nec non elanguentem digestionem redintegrandam præstant; cùm illorum morborum causa præcipua, meo judicio, sit vitiata concoctio; hinc crodus, insincerus sanguis, hinc densa, gravis, tarda que lymphæ, torpere, quiescere apta, in glandulis impeditur, ipsis devincitur, implicatur, supra modum extenduntur fibræ, enixè expanduntur & explicantur vasa, liquorem præ meatu angustius harentem refundere nequeunt; arteriæ validius pulsant, acrius feriunt & vehementius torquent tenacem, ac glutinosam lympham, arctius constringuntur nervi; viæ præfocantur, liquor angustioribus canaliculis conclusus, liberè meare nescit, æstuat redundatque, in totius machinæ perniciem fibræ obnuitur & obstat ne distribuantur humores, quibus recreantur, reficiuntur viscera, quibus sua perficiunt munia, quibus sustentatur propagaturque vita, nec non secunda obtinetur valetudo; sed morbos longos, qui difficilè coercentur, gignit crudus ille succus; iique affectus sunt varii pro diversis partibus, in quibus subsidet, commoratur, ut genus omne febrium, *chlorosis*, insultus *hysterici*, *melancholia*, *scorbutus*, *Podagra*, & alii *chronici* affectus.

(a) Hippocrat
lib. 6. epidem
sect. 3.
(b) Hippoc.
tract. defin. Me-
dic. pag. 25.

(c) Sydenham
tract. de Podagrâ
pag. 573.

V.

UT laudabilis obtineatur chylus, justum tenere vescendi modum, ac cibos simplices, faciles, paucos, utiles & pro corporis habitu, temperamento ac ventriculi viribus selectos, carpere non sat esse; sed insuper ut organa quæ concoquunt, vel cœctioni operam exhibent, optimè sint affecta & expedita necessaridè requiri, nemo Medicorum est nescius! Labentem restituere digestionem, magnum opus summaque difficultas; morborum quibus vitiata ansam præbet, diuturnitas, contumacia, recidivi accessus, seu *paroxysmorum* reditus, atque adeo medicamina, quæ semper fuerunt ex usu, nostram firmant sententiam; si dubites adhuc, audias Sydenhamum de *Podagrâ*, edit & commonet, cui Ars, & Natura tam efficax, tam præsens tamque (a) *alexipharmacum* medicamen tribuerent, quod ventriculo succurrere, cœctionem reparare & in integrum revocare polleat, plures solum ægritudines perfanaturum, quam mens posset excogitare. Quoniam quæ ut plurimum solvuntur obstructions, mox redintegrantur, aut recentes proferuntur, qui igitur cujusvis morbi *chronici* curationem molitur, id negotii sibi dari sciat, ut læsâ concoctioni communi morborum parenti medeatur, & digestionum organa ad pristinam perfectionem restituat, & totius corporis habitum immutet, secus allucinari & suam perdere operam putet; maximus certè, & præcipuus curandi scopus est, ut cœctioni, cruditatibus sublati consulatur; quæcunque igitur naturæ opem ferunt in muneribus suis ritè adimplendis, sive ventriculum corroborando, ut alimenta rectè coquat, sive sanguinem ad debitam chyli, in illum juncti assimilationem comparando, sive partes solidas firmando, quo melius succos earumdem nutritioni, reparationi, augmento destinatos, in propriam convertant substantiam! Quæcunque denique varia excretionum organa seu emundoria corporis in eo statu conservant, ut singu-

(a) Sydenham
de Podagrâ pag.
575.

4

larum partium recrementa, debito tempore atque ordine valeant amandare; hæc hujusmodi omnia, huic adimplendo scopo conferunt & propriè digestiva possunt appellari; sive venæ sectio, sive catharticum, sive pharmaca ea fuerint, sive victus ratio, exercitatio, sive alia quæ sex res non-naturales vocantur! Ne mireris, venæ sectione, catharsique minuitur sanguinis & humorum copia, fibræ tonus, musculis exercitium restituuntur, secretiones & excretiones promoventur. Remedia digestiva leviter amaricant, moderatè calefaciunt, ventriculo pergrata, digestionibus succurrunt, qualia radices angelicæ, enulæ campanæ, folia absinthii, centaurii minoris, cortex peruvianus, alia bene multa; aperientia vero, ut crocus Martis aperiens, sanguinem & lympham fluidiores reddunt, ac mutationes miras proferunt, moderata præcipuè exercitatio, continuatâ corporis succussione & contractionibus organa secretionibus dicata, ad munus depurandi sanguinis rite implendum compelluntur, unde sequitur digestionum deperditarum quasi renovatio, & totius corporis crasis optima; at verò animadvertendum aperientia, corroborantia ac digestiva remedia in *paroxysmorum* intervallis, vel sub illorum finem in usum esse revocanda! Sed quid memorem morbus *chronicus* sæpè non fideliter intermittit, eò quod per brevissima intervalla soleat recurrere; quanam tunc medicamina sint eligenda, ac conferenda. Ex morbi diligenti examine, accuratè symptomatum pensitatione colligitur; sed de his suo loco, tempore & ordine exhibendis ac variandis, judicet judicio pollens Medicus, & in arte excellenter professus, & æger momento Medici pareat, nec spem abiciat, neque enim sine magnâ temporis morâ & pertinaci remedium usu, concoctionum corroboratio restauratioque possunt acquiri; at solertis Medici subsidio, vel ad sanitatem restituitur æger, aut saltem relaxantur dolores, mitigantur symptomata, molliorque morbus, qui mitior, facilius fertur.

Ergo morbi chronici à vitio digestionum

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Carolus Payen, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor.</i>	<i>M. Jacobus - Franciscus Vandermonde.</i>	<i>M. David Vasse.</i>
<i>M. Tuffanus - Gilbertus Boulland, Aëlis Præses.</i>	<i>M. Jacobus - Albertus Hazon.</i>	<i>M. Andreas - Josephus Seron.</i>
<i>M. Gaspardus Cochon du Puy, in Arce Maritimâ Rupiforrensi Anatomæ & Chirurgiæ Professor Regius.</i>	<i>M. Claudius - Carolus de Jean.</i>	<i>M. Thomas - Renatus Gispnier.</i>

Proponebat Parisiis, JOSEPHUS-MARIA-FRANCISCUS DE LA SONE, Carpentoracensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.